

1  
19  
24  
3.  
7.  
5.  
6  
7.  
8.





1706.

1. <sup>1906</sup> Beierus, Christianus: De censibus promobilibus. 2. exempl.  
1706 & 1715.
2. <sup>1906</sup> Brucherus, Guillelmus Hieronymus: De Romani Imperatoris  
majestate principae reali et personali. 2. exempl.  
1706 & 1757.
3. Floerckius, Henricus Ernestus: De jure exactione  
tertii quaesito
4. Friesen, Joh. Bernhardus Facult. jurit. Decanus: Programma  
inaug.: de dominio revocabili (lectio in auspiciali Thami  
Goussinbi Decano praemissum)
5. Friesen, Johann Bernhardus, Fac. jur. Decanus: De cessione  
actionis revocatoriae feudalis.
6. Friesen, Johann Bernhardus: De sponsalibus sub  
juramento contractis non servandis.
7. Friesen, Johann Bernhardus: De actione directa ubi  
ac contraria.
8. Friesen, Johann Bernhardus: De pacto dominium in contri-  
ae venditione usque ad pretii solutionem reservante.

1706.

9. Friese, Johann Brunkenius: De remissione delicti  
per transactiones.

10. Kressius, Dr. Pantus: De procuratoris obligatione,  
si fines mandati excedit proecipue qua credito-  
ribus tenetur, in processu substitutionis. 4 Suppl. 17  
1706, 1746: 1752.

11. Loeberus, Christianus: De fundamentis legum naturalium  
secundum disciplinam Socraticam.

12. Richardus, Bartholom. Christians: Roman ante Ro-  
mantum conditam fuisse.

13. Stevartius, Dr. Philippus: De dominio revocabili.  
2 2 suppl. 1706: 1739.

14. Sture, Friederus Hollert: De functionibus pendentibus  
2 2 suppl. 1706: 1750.


15. Nedelius, Gorgius Wulffgangus, Fre. med. decanus:  
Propempticon in auro: De purpura et bysso. (et de ppa-  
labio non solum Caroli Sturici Lorentii invitat).



1706.

16<sup>a</sup> Wildvogelius, Christianus, Collegii juris d. decanus.  
De latere principis. Programmum inaug. (lectioni auspici-  
cali Johannis Georgii Haselhuber praemissum) 2 Exempl.  
1706 & 1755.

17<sup>a</sup>, 6, <sup>c</sup> Wildvogelius, Christianus: De increpatione paterna  
3 Exempl.



C  
R  
G  
E  
D  
SU  
A





11  
2. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
De

692  
27.  
12  
PROCVRATORIS  
OBLIGATIONE

SI FINES MANDATI EXCEDIT  
PRÆCIPUE  
QVA CREDITORIBVS TENETVR,  
IN PROCESSV SVBHASTATIONIS,

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

29.  
GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIVM,  
ANGARIÆ, GVESTPHALIÆ, & reliqua  
DVCATVS ISENACENSIS HÆREDE  
CONSENSV INCLYTE FACVLTATIS JURIDICÆ  
IN ACADEMIA JENENSI

SVB PRÆSIDIO

D. JO. PAVLI KRESSII,

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMISIT

CHRIST. FRID. DE TODEN,  
EQV. SAXO-LAVENB.

AVTHOR.

D. XXIV. DECEMB. MDCCVI.

JENÆ, LITERIS MVLLERIANIS





DISSELTATIO JURIDICA

PROCURATORIS  
OBLIGATIONES

SI FINES MANDATI EXCEDIT  
PRAECIPUE

QUA CREDITORIBUS TENETUR  
IN PROCESSU SUBSTITUTIONIS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
REVERENDISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI  
D. O. M. N. O.

GUILIELMO HENRICO


COMISSARIUS IURIS IN IURIS  
IN ACADEMIA TENETUR

D. JO. PAULI KRESSII

PUBLICO PRÆTORIO EXAMINI

CHRIST. ERB. DE TODEN

AVR. 1770



A. L. X. P. D. C. M. C. C. L. X. V.

JENÆ, LIBRARIIS UNIVERSITARIIS





MONSIEUR  
MONSIEUR  
GOTTHARD HENRI  
DE  
KERCKRINGK  
SEIGNEUR DE GANZAU  
A MEKLENBOURG  
Hier ist keine e. des d. d. d. d.





MONSIEVR  
MONSIEVR  
GOTTHARD HENRI  
DE  
KERCKRINGK  
SEIGNEVR DE GANZAU  
A MEKLENBOVRG

*Mon tres honoré & tres estimé Cousin.*



Monſieur



ay balancé longtems dans mon eſprit, avant que de me reſoudre à vous preſenter les premices de mes jours academiques dans cette univerſité, mais après avoir fait une ſerieuſe reflexion, que la matiere que je traité dans ma diſpute, vous eſt fort bien Connüe, & qu'elle vous touche de fort près, ie n'ai pü faire autrement, que de vous la dedier & consacrer très reſpectueuſement, m'y voyant obligé par un enchainement de devoirs, dont ie ne ſauois me diſpenſer en aucune maniere, Car les grands ſervices que vous avés bien à la bonité de me rendre par un pur mouvement de generoſité, & le Lien du Sang & de parenté, qui nous unit enſemble, ſont de puiffants motifs pour m'engager à rechercher l'honneur de votre bien veillance, par tout ce dont ie puis être capable; De plus, comme ie voi un Couſin enflammé de colere contre moi, ſans la moindre raiſon, ie cherche auſſi un azyle aſſüré, ſous l'ombre de votre protection, & ie me flatte même que vous me tiendrés lieu de pere, & ſoutiendrés toujours la juſtice de ma Cauſe, Contre mes ennemis; C'eſt dans Cette viü, que ie vous prie, de recevoir d'un oeil benin & favorable, ces petits traits de ma plüme, Comme un temoignage certain & indubitable de la ſincerité de mes intentions, & que ie Conſerverai juſqu'au dernier moment de ma vie, un Coeur véritablement penetré d'une juſte reconnoiſſance pour tous vos grands bienfaits, & ferai ioujours ma plus grande gloire, de me dire avec le Reſpet Condenable.

De Votre generoſité

le très humble & très obéiſſant Serviteur  
& fidèle Couſin

DE TODEN.







PROEMIVM

In nomine domini Amen. Hic incipit  
 liber primus in quo tractatur de  
 principiis philosophiae naturalis  
 et de generatione animalium  
 et vegetabilium. In hoc libro  
 tractatur de materia prima  
 et de formis simplicibus  
 et de compositis. In hoc  
 libro tractatur de motu  
 et de quiete. In hoc libro  
 tractatur de sensibus  
 et de vita animalium. In hoc  
 libro tractatur de vegetabilibus  
 et de mineralibus. In hoc  
 libro tractatur de meteoris  
 et de cometa. In hoc libro  
 tractatur de luna et de stellis  
 fixis. In hoc libro tractatur  
 de aere et de igne. In hoc  
 libro tractatur de aqua et de terra.



PROOEMIUM.

**N**Unquam tibi I. b. Dissertatione hac gravis  
 fuisset, nisi & alia ante triennium Gissæ  
 Hassorum pro gradu doctorali habita mihi  
 obvenisset, ubi nostrum beatæ memoriæ  
 Cognatum illatæ sibi injuriæ mordacibus  
 auctor arguit verbis. Ideo nec nomen hic  
 adversarij exprimere necessarium credidi, cum neminem ferè  
 præsertim ejusdem patriæ fugiat, qui sit, quem iniquo ille ca-  
 lamo conspergere conatus fuerit; sed frustra. Castum enim  
 atque circumstantias sibi servientes paucas recenset, reliquas  
 alto præterit silentio, & ita alias ad suam seducere opinionem  
 sollicitus est; cum tamen sciat, neminem cui cor, quod  
 ajunt, salit, sententiam laturum, nisi & altera parte auditâ.  
 Quare & ego eandem facti speciem ex actis judicialibus  
 excerptam sincere præbeo, quo lector aliàs incertus de ve-  
 ritate rei & indole adversarij optimè judicare possit. Multa  
 hic injuriosè scripsit, procaci ore tam in judicem quam  
 adversarium suum invectus, sibi que solus visus est sape-  
 re. Nec nobis injurias veritate repellendi occasio de-  
 fuit; Verum, ob præclarissimos ipsius cognatos atque af-  
 fines minimè cum illo consentientes, tanto calumniantis  
 judicii defectui ignoscendum potius duximus, quo pateat,  
 nil vindictæ, omnia defensionis causâ esse apposita. Hinc  
 maxime in gratiam illorum, qui pessimis adversarij convi-  
 tijs seducti, præsentem edo disputationem, quo veritatem  
 dijudicent. Illum sibi relinquimus, ne oleum & operam  
 perdamus. Non enim nisi cautus ictum calcitrantis ani-  
 malis evitabis, & si petaris, an dolori tuo verbera rursus  
 infligendo satisfiet? Altiori animo malum ita obveni-  
 ens inevitabile perferendum, qui effrenos impetus futuros ge-  
 nerofo suadet despiciere irrisu.







mandatarii vero & proxenetae sunt  
ut unico nostro dicitur §. 1.



Uorum opera in nostris peragen-  
dis negotiis utimur, ad hæc duo  
summatim genera redire viden-  
tur, quod vel instrumenti meri  
habeant rationem, citra ullam  
libertatem ac potentiam, e pro-  
prio mentis iudicio, aliquid cir-  
ca modum gestionis definiendi,

vel quod in iis simul solertia & intellectus sagacitas  
requiratur, ad dispiciendum, quid cum nostro con-  
stituentium commodo stare possit, & quid respuat  
idem. Prioris classis sunt nuncii & tabularum perla-  
tores. Posteriores vero proxenetae & mandatarii  
subeunt. Proxeneta & mandatarius, quomodo sint  
secernendi, ab aliis aliter exponitur, sed his exami-  
nandis immorari superfedemus, qui, ni prudentia  
suadeat, suoquemque abundare sensu pati possumus.  
Itaque hoc saltim pro maxime conspicua utriusque &  
mandatarii & proxenetae differentia annotamus, quod  
ille uni inserviat, unius emolumento studeat, proxe-

A neta





neta verò alterum alteri, venditorem emtori, hunc illi conciliet, bona fide utrique præstet operulam & ministerium. Neque enim quod prima fronte videtur, gratuito semper exequitur mandatum procurator, neque ubique accipit proxeneta *Φιλάνθρωπον*. Sic uti nec illud universum deprehenditur, quod proxenetae personæ publica auctoritate constitutæ sint, mandatarii verò à partibus eligantur. Simus igitur unico nostro discrimine contenti.

§. 2.

Enimverò de personarum omnium ministerialium juribus nunc exponere animus non est. Licet supersint fortè controversiæ, in quibus ingenii aciem non sine fructu exercere quis posset. Sic speciatim de nuncio & procuratore quæri solet, an si, qui misit utrumque, revocet, quod antea ipsis in mandatis dedit, nihilominus obligetur, si hi non attentà revocatione ad eum, ad quem primitivus ablegabantur, obflinato veluti animo ire pergant, & antiquata commissa exponant, isteque eadem nil mali suspicatus acceptat? Mirè ferè hic solet distingui, & subdistingui. Sed si *αἰς* & *παρόρω* quid, desuper sentiendum dicere fas est: secernenda venit revocatio ad principalem directâ, ab ea, quæ nuncio & procuratori tantùm originetus intimabatur. Priori casu videndum, an accepta erit oblatum post revocationem intellectam, & nulla nascetur obligatio, An verò antea tale quid factum, & tunc indemnus servandus erit, sin ex acceptance damnum aliquod fuerit perpeffus. Ipsius verò promissi vis ultrò evanuit, cum post revocationem



§ (3) §

nem non amplius extiterit voluntas, quæ potuisset acceptari, Quod si autem ad missos solos oratio sit concepta rursus examinandum erit, an simul, omne illud, quod ipsis dedimus, ad faciendam tertio de sua missione fidem, ipsis iterum abstulerimus, an verò tale signum, quod tertium seducere poterat, relictum fuerit nostra incuria, Sed quid si nullum signum ipsis datum? & tunc de variis instituenda erit inspectio, an missus fuerit tabellio publicus, an homo à nobis ad talia expedienda delegari solitus, an tertius quispiam: imò & plures circumstantiæ, quas suggerit speciale factum consideranda,

§. 3.

Itaque de solo procuratore disquiremus, & quamvis infra dicenda ostenderint, fieri sæpe ut homines versuti transmutata veluti persona procuratoris, sub internuncii, proxeneta &c. forma in scenam prodire audeant, paucis tamen ibidem demonstrabimus, nothum & adscititium esse, quo se induunt habitum. Porro ipsius quoque procuratorii muneris explicatio integra scriptionis nostræ fines excedens quippe, ad solam quæstionem, an procurator tertio obligetur, restringenda erit. Ubi tamen non id tractandum venit, an procurator obligetur, si furtum committat in ædibus tertii, si injuria afficiat, si convitiis proscindat vel grave damnum det, aut similiter delinquat. De his enim, quorum solutio cuivis patet, dispicere vellet, operam ludere esset. Igitur quo sensus tandem problematis magis evadat perspicuus: brevibus perpendam, an procurator extra fines mandati proprio

A 2 ausu





ausu licitum cætera negotium gerens & contrahens, tertio, cui aliàs principalis, si ratihabuisse, obligatus fuisset, non teneatur tanquam ex proprio pacto? Imprimis si accedant hæ circumstantiæ, quod tale quid promittere non erubuerit, quod æqui bonique non consulturum esse mandantem, vel sciebat, vel per vulgarissimæ prudentiæ regulas scire poterat. Item, si adeo pertinaciter in defensione promissi sui perseveret, ut alios, qui in locum ipsius successuri & contractam, licet ratione paululum alia obligationem recepturi erant, admittere nolit? Verùm quo sibi nihil impossibile esse, quo quadrata rotundis se non citra elegantiæ speciem miscere posse ostenderet, cum tertio suum exigente, litigium continet, sententiam definitivam expectet, & reliqua.

§. 4.

Age consulamus paulisper sanæ rationis jura, quid statuunt de quæstione. Scimus quod homines secundum naturalia principia à philosophis dupliciter considerari soleant, vel in statu libertatis, vel, prout sub communi quodam imperio coaluerunt. De singulis ergo seorsim. Verùm de primo mihi disquisitionuro, audio acclamare magnum Malmesburiensem, philosophum Hobbesium, aut ut verosimilius loquar, recentiores Hobbesizantes. Quid opus est? ajunt quæstione, cuius in quemvis quævis licita sunt, utur vel maximè non intercesserit negotium aliquod, involvit status naturalis jus omnium in omnia. Quid ergo opus de procuratore quævisse, finge inter eum & tertium, ad quem mittitur, non intervenire surnal-

agma,



§ 7 § 8

lagma, exposita tamen sunt tertii arbitrio omnia,  
 qua possidet, occupet itaque, quae ipsi videntur e re  
 sua esse, aut res inter ceteras eligat & dicat: Tu  
 mihi sola places. Ast verò, quia haec secta, an status  
 naturalis, an hujus mirae descriptionis pertasa, non  
 definitio, quarendam esse partem suadet, ubi habere  
 potest & minimè vult, ut in libertate ista nimis effreni  
 persistamus, spero fore, ut non acerbè sit futura,  
 si ego in civili statu constitutus aliorum de statu li-  
 bertatis conceptus sequar. Quae enim l. l. c. 7. §. 5.  
 tradit, quod non tantum contra contendere sed etiam  
 hoc ipsum non consentire odiosum sit, id de aliorum  
 moribus intelligi debere, non de Hobbesii, aut disci-  
 pulorum ejus, adedò credo, ut scriptorem vitæ ipsius  
 insigniter lapsam existimem, qui ipsum inter dispu-  
 tandum incaluisse & ad iram concitatum fuisse, satis  
 audacter memoria prodere non veretur.

Aliorum igitur serinia exequens ldeprehendo,  
 magno doctrinae juris naturalis emolumento, funda-  
 menta hujus disciplinae, prout de libertatis statu præ-  
 cipiunt, ad trigam præceptorum reducta esse, tum  
 fidem esse servandam, neminem laedendum, nemi-  
 nem injuria afficiendum, inculcari solet. Quod di-  
 sputatur reliquum, quod affertur copia rationum, ul-  
 terius, id ad declamationes oratorias Rhetorici & ad  
 dicanda Dialecticorum Philosophemata remittendum;  
 hi enim gloria ducunt, laudique dant, argumentorum

A 3

con-





conduxisse farraginem & cujusvis farina, vel ex aëre arreptas rationes cumulasse. Unum idemque esse rati five actionem inutilem five incommodam, five minus honestam, five denique injustam esse, probare aggrediantur. Pro commodo nihilominus, utili, honesto & iusto, commodum ipsis accidit, eosdem ut Logice loquar, adinvenisse medios terminos. Sed missis ineptiis, ad statum questionis nostrae. Quorsum ergo referimus procuratorem nostrum modo supra descripto promittentem. Sanè ad classem primam, cur non referam, quid obstet, non video. Ast dicitis: non suo nomine pactus est, sed alieno suam adstrinxit fidem. Ergo cum de pactis principio connectere poteris tuam conclusionem. Est enim pactum duorum pluriumve in idem placitum consensus, verbo: pactum dicitur à paciscentibus, seu iis, qui pacifici volunt. Attamen nihil muto, qui fines, mandati supergreditur, cujus, uti supponendum, tenorem optime habet perspectum, is naturaliter frustra agere velle censendus non est, sed propriam fidem interponere. Accedit, quod mandatarius ad amolendum à se factum, & transferendum in mandantem, de istius voluntate docere debeat. Ut non injuste dicere possis, quemvis mandatarium admitti, ex natura negotii rati, sub hac conditione, ut ratihabitionem procuraret. Unde & legibus humanis occasio nata mihi videtur, peculiarem cautionem circa hoc argumentum exigendi. Igitur nullam iniquitatem redolebit, si tertius ad hoc eum velit adstringere, vel si videt, à mandante suum obtineri non posse, ut ipse legibus contra-



§ (7) §

Quis satisfaciatur adigere conetur. In hunc sensum uti-  
 que gesta mandatarii accipere possumus, quod non  
 actum nullum, sed firmum ac validum, inire voluerit,  
 quod bifariam fit, vel, ut efficiat, ut mandans appro-  
 bet, vel ut ipse stet conventis. Addas & hoc, quod  
 qui promittit, nomine alicujus tertii, idem agat, ac  
 qui dicit, se effecturum, ut à tertio quid prasteretur.  
 Quis autem tertio nolente absolveret primum taliter  
 promittentem: nisi specialis adesset circumstantia,  
 suadens, saltim ad summum conatum quempiam se  
 obligasse, e. g. si pauper de magna pecuniæ vi hac ra-  
 tione procuranda fuisset locutus. Imò sicuti juramen-  
 tum non exponendum pro arbitrio jurantis captiosè,  
 sed ex mente ejus, qui illud detulit: ita etiam officii  
 procuratorii explicatio desumenda ex eorum mente,  
 qui cum eo contrahunt, qui pro procuratore eum,  
 i. e. pro persona, quæ principalis voluntatem & ap-  
 probationem procurare posset ac deberet accipiunt.  
 Talis enim quisvis judicandus, qualis in foro seu publi-  
 cè apparere voluit.

Sed instas: quilibet optimus verborum suorum  
 interpres, jurat mandatarius Jovem lapidem, se ne-  
 per somnium quidem cogitasse de procuranda ratiha-  
 bitione, multò minus quod in casum, si deficiat ipse  
 teneri velit. Quid enim ipsi cum hoc onere? ter-  
 tius ipse suum negotium agat, & de suo commodo  
 sollicitus sit. Verùm quæso te, an illudere voluit per  
 proterviam tertio? an inani spe & falso lætare gaudio,  
 quo



quo habeat, quod rideat? hoc profecto casu nova ac-  
 cedit ex capite injuriæ obligatio, quam si tertius gra-  
 tis devorare nolit, sed præter exactionem promissi in-  
 signi malo mulctet petulantiam, frustra de violata justi-  
 tia moyebuntur querimonia. Ita tamen me non di-  
 mittis. Quid, ais, obtinebit, si illudere noluit, si  
 bona fide egit? Resp. quivis negotium gerens debet  
 ipsius vim ac potestatem nosse, debet intelligere quæ  
 inde sequantur obligationes, ni infans sit, aut dese-  
 ctu alio intellectus laboret. Ergo decisio quæstionis  
 desumenda erit ex iis, quæ numero anteced. disse-  
 ruimus. Reddetur sanè si ita cum eo naturale jus  
 agere dicas in posterum curatior paulò & ad vitam  
 socialem aptiori. Cùm si ipsum, absolvendum cen-  
 suisses, ignaviæ, dolis, fraudulentia & aliis vitiis, ma-  
 ximè noxiis pabulum præberes. Unde vides, & ex  
 iis capitibus, quod utilis, commoda & proficua sit,  
 sententiam nostram commendari posse. Quod in eo-  
 rum gratiam interdum non est negligendum, qui  
 sæpè numero intactis rationibus alicujus sententiæ, ad  
 pericula ejus devolvuntur, & ima summis, si admitta-  
 tur mistum iri, per consequentias suas evincere alla-  
 borant.

sed iustas : duntaxat optima ve portus : ad illud  
 in iustis : duntaxat optima ve portus : ad illud  
 per iustas : duntaxat optima ve portus : ad illud  
 §. 17. Jam commonstratum est, quomodo ex pacto vel  
 injuria obligetur procurator, videamus & de capite  
 lationis. Verùm hic omni disputatione supersedere  
 licet, eo, quod damni pensandi regula à quovis resti-  
 tutionem exigat. Ergo & procurator noster, quem  
 sanæ



§§ (9) §

sanæ rationis esse supponimus solvendi necessitati  
 subjectus est, si occasione expeditionis suæ alterius pa-  
 trimonium diminuerit, vel certissimum lucrum inter-  
 ceperit. De aliis delictis supra remissivè dictum.  
 Habebitur ratio uno verbo omnis istius, quod tertii  
 interest, negotium cum procuratore non gessisse,  
 quod speciatim, & casu infra adducendo patecet. In  
 isto, quod hic omninò monendum, ad erroris jus quod-  
 dam imaginarium fuit appellatum, quod iniquum sit  
 ex alicujus errore proficere velle. Cum autem ini-  
 quum ad summum nil significet aliud hoc loco, quam  
 quod contra amorem videtur, eo ipso conceditur,  
 quod non sit factum contra justitiam. Dein amor  
 non indistinctè suadet, ut errantium misereamur, sed  
 uti omnia ejus officia ferè à circumstantiis dependent,  
 ita potissimum circumstantiæ personarum errantium  
 consideranda sunt. Quia hæc sæpè erroris favore, si  
 quis datur consumto, pertinaces, dicaces ac injuriosi  
 existunt, si quod liberè præstare, vel non præstare po-  
 teras, vel tantillum differs. Orandi sunt homines &  
 colendi, à quibus remissionem debiti, vel aliud bene-  
 ficium ex amore expectas. Non vis inimica adhiben-  
 da, non forum in statu, civili pullandum, vel superio-  
 rum stulte imploranda coactio.

§. 8.

Pergamus ad statum imperii. Ubi non existimo,  
 quod in hoc quævis emendata vitia hominum, quod  
 hic pax & omne bonum regnent & triumphos agant.  
 Iliacos intra muros peccatur & extra. Quemvis sta-  
 tum

B

tum



tum sua sequuntur incommoda. Hæc qui non credit, ejus miserendum est, quod statum in quo vivit non intelligat, aut jura quibus regitur ignoret: uti loquitur ferè in simili argumento Illustr. Stryckius. Nimia profectò hujus commendatio reprehenditur in Hobbesii libello. Putat enim solum hunc statum, vitam feroci ac belluina homines exemptos misericordes, modestos, mites, gratos reddere. Esse ipsis instar campi alicujus Martii: ubi legum naturalium exercitium largissimè floresceret, sed eventus docet, quod ille autor non homines, non cives, faciat, verum belluas. Tollit enim omnem communionem juris inter imperantes & parentes, docet, quicquid in cives audeat superior pro injuria haberi non posse. Neminem nil habere proprii. Jure occidi etiam, qui inhonestum facere detrectat. Quamvis in eo sibi non constet, nunc enim honestum & inhonestum à sola principis voluntate derivat, *cap. 6. num. 9.* adeoque necessariò statuit, quæ princeps jubet, singula honesta esse, nunc quædam non obstante, quod ista fieri velit, inhonesta manerè contendit. §. 12. Nescio sanè, an hæc ferula ad gustum Anglorum suorum sint, quibus tamen vitæ liberioris conditionem dissuadere operosè nitebatur. An enim charybdim quis anxie prætervehere tentabit, si ad scyllæ tortuosas procellas miserè sibi pereundum esse videat. Novi minimum, quod hodiernum longè alia ipsis arrideant, quod ex capite libertatis etiam sub imperio, se demùm pro veris hominibus venditent. Quod putent, sine ulla libertate regi, quale quid Moschis & Turcis accidere, ajunt,





§ (II) §

ajunt, sit ferarum & canum modo regi, quibus interdum lautius pabulum apponi solet, quo alacrius vendendi servitio defungantur.

§. 9.

Illud controversia caret, quod quia Respubl. ampla societas est, plures quoque status, plura negotia, controversiarum plures imò & vitia plura in ea, quam in singulis separatim degentibus familiis deprehendantur. Inde quoque fit, quod plura noviter veluti ordinanda sint, Imprimis modus, quo quis à quovis suum consequitur, variat. Ut enim taceam alias differentias, in statu naturali ob luxuriam deficientiam, vel si in hoc nimis crudum videtur, ob ejusdem raritatem, de debitoribus obaratis, de horum beneficiis, de observandis in bonis eorum distrahendis solennibus, nil tale, quale in civitate non raro conspicitur, reperi solet. Non fit secundum Pufendorfium quod ipsi defendendum relinquitur immissio in bona per terminos, sed debitore satisfacere recusante, propria auctoritate adeuntur. Non pignus constituitur in fundo, cum & sine hoc jus occupandi ex justa præcedenti causa detur. Non distincta tempora expectantur. Silet vox præconis, ignoratur licitatio, exulat subhastatio, quia creditor de refractarii bonis pro lubitu disponit, modò non plus ipsi auferre præsumat, quam debiti quantitate continebatur. Enimverò hæc in statu imperii secus se habent, & justè se habent. In hoc statu non expedit singulis relinqui eorum executionem, quæ à magistratu fieri debent. Hujus est civium defensio & protectio. Hujus quo-



quoque est, quo omnis vis privata abfit & exulet, rationem ostendere ac modum, quo debitum à tergiversante, à luxurioso & pertinaci consequaris. Includi hæc solent uno vocabulo processus. Hic ex natura pacis inter cives colenda bina respicit, ut ne debitori gravis existat creditor ac iniquus, secundo ne hujus morositas solutionem ad calendas Græcorum rejiciat. Ergò dicere posses virtutes processus esse, ut sit sine sumptibus inanibus, sine terminis quos vocant otiosis, ut tamen & reum cogitet esse hominem. Tum demùm itaque sibi constat, sin brevis, sin vilis pretii, sin defensionem concedat.

## §. 10.

Iraque licet antea nihil fuisset evictum, quod procurator, de quo hæctenus diximus, se obliget, licet cum tribus supra positis principiis non potuisset combinari nostrum assertum, attamen, quod idem in statu civili absolveretur minus rectè inde concludere fas esset. Etenim sicuti Romanum jus è re civitatis suæ arbitrari poterat, fore, si nudorum pactorum vim obligandi præscinderet: ita pariter in Rebuspublici fieri potest ac debet sæpè, ut novum obligationis genus, præter ea, quæ naturali statu abtinent, introducatur. Modò his requisitis gaudeat, quod conducatur saluti publicæ, quod distinctè probari, quod nova hæc obligatio executioni dari possit, cæteroquin enim non excusabit coram DEO, vel etiam honestis viris imprudentiam, aut malitiam, si perverso studio in bona & libertatem subditorum grassetur princeps. Sed ecquis  
nega-



§§ (14) §§

negabit, omnia hæc tria amica veluti conspiratione in proposita nostra questione uniri: sicut enim sana ratio suavit, ne creditoribus sanè nimium ad rem attentis res proprio arbitrio relinquatur possidenda, verùm ut publicè venundata tantùm valeat, quantum valere potest: sic quoque nihilominus ejusdem rationis dictamen est creditorum non profus oblivisci, ut ære suo diutissimè careant. Verum ambagibus maximè indulgeretur, si, ut alia id genus præteream, circa licitationem res in infinitum protraheretur, si licitatori vexandi causa licitare integrum esset, si qui procuratoru se gessit, nunc pro proxeneta se haberi cupienti benevolæ aures præberentur. Si nulla rati-  
habitationis procuratio, ab iis, qui mandatariorum vicibus defuncti sunt, exigeretur. Si jus quoddam erroris imaginarium, sub quo quævis procacitas latere possit introduceretur. Si quod primo loco in nostro facto nominandum erat, inultam ferret, is pertinaciæ malitiam, qui rem propria stultitia nimis carè emtam nec ipse retinere, nec, ut alius eandem sibi addici cuperet, permittere vellet. Idque eò saltim, quò se postea invincibilem ostenderet, atque aptum jus in suam partem, in qua aliàs minimè præpenderet, dædalicò artificio detorquendi. Ergò patet, utilitatem publicam exposcere, ut procurator frivole vel malitiosè licitans, non aliis conditionibus, quam, ut rem sibi emtam retineat, dimittatur. Et quid diceret, si e. g. Titius emeret à Lucio ac tradere sine-  
ret sibi equum nomine Caji, postea verò, cum eundem Cajo nil tale cogitanti offerret atque ab eo, se

b 3

non



non indigere responderetur, cur injussus emis-  
 set. An quæro æquum esset Lucium ad receptionem  
 adigere, cujus tamen nulla hic culpa versaretur. Enim-  
 verò uti post acceptionem factam nil æquius, quàm  
 ut protervia pœnas luat, is qui negotio ad se non  
 pertinenti ingessit; ita & ante eandem, cum jam emtio  
 sit perfecta, idem sanè merebitur. Dein tale statuerunt  
 comprehendit factum, quod facillè probari, quod faci-  
 lè determinari potest. Hic non quaritur de aliquo  
 humanitatis officio, per coactionem imponendo, ubi  
 mille excusationes adferri possunt. Neque verò vi-  
 dere datur, quid executioni obstet, hæc ommittere non  
 usque eò difficile est, ac innatis se exuere infirmitati-  
 bus ob hanc eandem rationem à legibus humanis exem-  
 tis. Imò quod si in futurum pravè curiosus cautius  
 mercari non discet, nec majori prudentia aliena ne-  
 gotia gerere, sin inquam hæc à socordi suà ignavia  
 impetrare nequit, aliis tamen, qui cum eo contrahunt,  
 ut, jure fieri debebat, consulitur.

§. II.

Sed sat prata biberunt, in quis, clande rivos, i. e.  
 define tantum tui juris naturalis carmen canere.  
 Quod juvat (ita pergis) circa istius præcepta non  
 spernendam vim chartæ consumsisse, si idem juris Justi-  
 nianei oracula non respondeant. Sed benè addis: si non  
 respondeant idem. Jam docebo, quod non ipsorum alia  
 mens sit. Verum opus est, ut in certis conditiones  
 prius





§ (15) §

prius conveniamus, quid tibi sit sententiam aliquam  
 è jure civili probasse, an requiratur casus in termi-  
 nis, aut lex cujus verba clara, an sufficiat per regulas  
 bonæ interpretationis, & ex rationibus decidendi in  
 civili textu assumtis assertum suum firmare. Sin pri-  
 us solum tibi placent, fateor, id vix ac ne vix quidem  
 præstari posse in præsentis casu. Sed si posterius sufficit, uti  
 omninò sufficit, cum leges scire non sit verba tenere, sed  
 earum vim ac potestatem, age adferamus pauca! Pri-  
 mo cur quæso jure civili procurator teneatur cavere  
 de rato, sine dubio, quia qui ad alterius voluntatem  
 in negotiis cujuscumque gestione provocat obligatus sit  
 ratihabitionem procurare, & ea deficiente ipse solve-  
 re, alias non liquet cui usui sit cautio. Etenim cogi-  
 ta paulisper sedatis affectibus ipse, an non hæc cautio  
 ridicula esset, si dicerem e. g. accipe centum impe-  
 riales in securitatem, quod ego tibi Sempronii rati-  
 habitionem; circa quam jam ambigis, an secutura sit,  
 procuraturus sim, sin vero procuraturus non sum, red-  
 des mihi meos centum imperiales. Ergò vides, quod  
 civili legi non contrarietur, cogere procuratorem, ut  
 solvat. Neque oberit mihi objecisse cautionem à ju-  
 dice exigi, ne judicium fiat illusorium, aliud autem  
 in contractibus dicendum, ubi sæpè cum mandatario  
 circa cautionis istius mentionem res per agitur. Po-  
 stea verò, ubi nullum adfuisse adpareat mandatum, pro  
 nullo habetur negotium. Ut enim paucis respondeam,  
 mihi satis esse viderur, judicem tamen obligationem  
 agnovisse, est enim cautio res accessoria, quæ obli-  
 gationem principalem supponit. De in licet privatim  
 con-



contrahentes fortè cautionis obliviscantur, id tamen principi seu primaria obligationi procuratoris non magis præjudicabit, quam si creditor pignus præ nimia fiducia neglexit. Firmius vel minimum simile præsidium locamus in *L. 81. de V. O.* refert ibi Ulpianus ex Celso, quod qui alium sibi promittat, ut pœnam non adjecerit, nihilominus à judice condemnetur in id quod interest, ex ratione, quod qui alium sibi promittit, promittit se acturum ut sistatur. Clariora sunt & ad nostræ propositionis demonstrationem apprime facientia, quæ extant. §. 3. *Inst. de Inutil. stipul.* ibi dicitur: si spondes Titium quinque aureos daturum, non obligaberis sed si effecturum promissisti, omninò obligaberis. Potuisset enim quis *L. 81. cavilari* & dicere, quod saltem de interesse loquatur, de damno aliquo supervenienti, ad quod promissor omninò teneretur, non verò, quod ipse contractus tanquam contractus sit servandus, si alius inde læsus non fuisset. Igitur pro tollenda omni dubitatione ex contextu apparet liquidò, quod quis ad ipsius promissæ quantitatem obligetur. Enimverò quid aliud dicimus procuratorem agere? an non ex natura negotii spondet, se effecturum, ut à mandante sequatur approbatio ac ratihabitio, sub hac enim lege sola & unica alius cum ipso contrahit, & quis quæso alia mente cum ipso contraheret? & quis nisi extremè malitiosus alio animo peregrina negotia gerit? Ergò si possit id efficere nequeat, quid æquius, quam ipsum ad similitudinem istius Titii cujus in cit. §. 3. mentio fit obligari, ut promissus s. vel 100. vel 100. aureos exsolvat



¶ (17) §

solvat ipse. Solatium verò si aliud fortè non succurrit, potest capere ex Lege tritissima, quod culpa sit se immiscere velle negotio ad se non pertinenti.

Accedit his *L. 4. de R. Jud.* & ab ipso adversario laudata *L. Plautius de procur.* ubi procurator qui se liti obtulit condemnari iubetur, quid vero notet formula: se liti offerre, exponit Gothofredus *lit. 1. ad L. 4. scil.* sine mandato pro reo comparere, se mandatum habere gloriari, quod tamen quis non habet. Atqui verò jam supra ostendimus, inter negotia judicialia ex extra judicialia frustra fingi differentiam. Eadem sanè culpa, idem profectò gradus malitiæ est, sive ad litigandum in iudicio, sive ad contrahendum, extra idem, absque mandato se offerre. Deinde negotium subhastationis à iudice peragitur. Itaque iudex non iniquè agat, si quid juris sit, protervè se ignorare simulanti, cum emphasi ostendat. Porro adjungi meretur favor subhastationis. Supra diximus enim inter præcipuas curas principis esse, ut quoad ejus fieri potest citissimè, sine sumtu accipiat creditor, quod jure petit. Non hujus sanè oblitus sunt Romanorum laudatissimi Imperatores. Varia in unum congerit *L. 17. de R. Judic.* sic cum in contractu emtionis fides soleat haberi de pretio, in materia subhastationis rejicitur eadem. Ne scilicet denuò cum emptore novalis oriatur, ne novo ad suum extorquendum processu opus sit. Ex qua eadem ratione concludimus, procuratorem, qui sine mandato licitatus est, & qui alias

C

per-



pertinaciæ vitium abunde testatur, non debere falso  
 q̄ odam exemptionis à solutione Privilegio utilissimum  
 justitiæ cursum sufflaminare. Tandem naturalis depre-  
 dicatur dicti prætoris æquitas, quod nil tam con-  
 gruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter contrahen-  
 tes semel placuerunt, servare, *L. 1. de part.* atqui ve-  
 rò jam ratio ostendit, quod inter judicem & credi-  
 tores ab una, & procuratorem ab altera parte sit con-  
 tractum, & quidem in hunc sensum, ut vel ostenda-  
 tur suo tempore mandatum, vel solvatur. Itaque non  
 audiendus erit, qui horum neutrum præstare velit.  
 Tandem enim quivis stipulatori quærit procurator,  
 quantum habiturus fuisset si rati habitio debite esset  
 secuta, ut eleganter acutissimus Faber monet ad *Tit.*  
*C. de evict. def. 6.* Igitur analogia juris nostri civilis,  
 sin aliud non esset, satis evidenter monstrat, senten-  
 tiam condemnatoriam, qui de mandato sibi non pro-  
 spexit, evitare non posse.

§. 13.

Neque verò ab usu practico abhorrent, quæ ha-  
 stenus ex variis principiis deduximus, cum consen-  
 tientes habeamus penè multos. Aded ut si commu-  
 ni opinioni aliqua sit habenda fides, nostris quæ ei-  
 dem suffulta est, eò tutius inniti nos posse videamur.  
 Existimo quidem cum aliis olim repertos fuisse &  
 hodiernum reperiri communes errores, id tamen si-  
 mul non inficior, quod quivis, qui propria cogita-  
 tione veritatem invenire aggreditur, insigniter po-  
 stea





§§ ( 14 ) §§

stea in meditationibus confirmetur, si alios inuito veluti ratiocinationum calculo idem supputasseprehendit, primò nobiscum facit. *Cardinal. Tusch. qui conclus. 830.* ita differit: *Quando se quis fecit procuratorem in eo, in quo procurator non est, quia suum videtur adstringere fidem, ipse tenetur. Quod ipsissimum est assertum, cujus probationem nos suscepimus. Neque multum abludit ab his, de Socinis Consil. 154. Licitationem pro contractus specie agnoscit notissimus Saxonum Jctus Berlicb. Conclus. 81. num. 175.* unde penitentiam excludit, sine dubio ad procuratorem sine mandato licitantem eadem applicabit, ob ante dicta. Inter licitantem & subhastantem contractum intercedere, *Job. Bapt. Asinii, doctrina est, cap. 2. de execut.* Animosum licitatorem qualis fuit ille, cum quo nobis negotium est, cavere & consequenter solvere debere, vult *Ludov. Postius, in spect. 35. quæst. 11. num. 36.* omnium quos evolvere datum apertissime nostra propugnavit gnarissimus praxeos ap. Lipsienses Scabinus *Philippi, cujus hæc extant in Tract. de subhast. cap. 3. comm. 7. num. 30.* Hoc tamen casu, si quis alterius nomine licitatus fuerit nec sibi de mandato prospexit, id periculi sustinet, ut penitente (ergò multò magis declarante sibi nunquam tale mandatum in mentem venisse) mandante ipsemet pro emtore habeatur, ut nolens volens pretium solvere debeat. Neque enim qui jussu diffidetur ullo pretextu, ad exsolvendum pretium cogi potest. Nec mandatarius conqueri debet de injuria, utpote, quam sua culpa sentit, vide plura ibid. Cæterum, qui ad exigendam pecuniam mandatum habet,

C 2

non



non statim habet ad licitationem, cum habens mandatum in principali, non censeatur habere in accessorio *Cephal. l. 2. consil. 220. num. 16.* nec ultra obligat quam mandatum loquitur, *Id. ibid.*

§. 14.

Dubitare verò posses de dictis ac diffidere iis, quæ ex iure naturali atulimus, uti & forte, quæ è iure Romano aut Doctoribus arcessivimus, tibi iniquitatem sapient. Age dubitationem tollam adductis iuribus aliis. Jus Canonicum creditur consulere conscientis & sequi æquitatem in pluribus. Sed in eo traditur, quod Episcopus, cui commissum in Diœcesi quadam, ut ordines celebraret, si ad sacros ordines promoveret quendam titulum non habentem, ei cum in culpa fuerit, taliter ordinando eundem teneatur necessaria alimenta subministrare, donec ipsi vel per eum, vel per alium de competenti beneficio fuerit provisum: si verò ipse committens (ita pergit *c. 37. & de prob.*) certas personas nominavit ordinandas, quia prævidere an titulum haberent, debuit, ad prædicta, donec per eum beneficiata fuerint obligatus existit. Ratio decisionis *Bonifaciana* est in priori membro, quod ob excessum finium mandati tertio cum quo negotium intercedit, se obliget mandatarius, ad id, quod consecuturus fuisset à committente, si ipse talia iussisset, vel talia ipsum iussisse ostensum fuisset. Neque me ferit, quam formas objectio, potius è materia substrata esse desumendum argumentum sententia,





§ (21) §

tia, quod videl. nemo sine titulo ordinari posset. Et enim urgeo id. in textu non disquiri, an alimenta debeantur, an sine titulo ordinato sit succurrendum, sed cui incumbat ad ista obligatio, quod papa è doctrina de mandato declarat, distinctione in jam recitatis verbis adhibita. Quæ alias sit mandati custodiendi religio, idem *cap. 16. d. 1.* inculcat. Video à *Philippi* vel *supra. cit.* pro defendenda doctrinæ æquitate adduci *cap. 86. X. de R. J. in 6.* scilicet damnum, quod quis suâ culpa sentit, sibi non aliis imputare debet. Eod. ferè modo concludit Papa in nostro textu, ait enim: in culpa fuit taliter ordinando. Et profecto egregie turbarentur, regule imputationis, quæ bonum malumve in facti autorem rejiciunt, nisi hoc modo Pontifex respondisset. Ita quidem computum instituit affectibus depravata ratio, quod si emolumentum aliquod emergat, id sibi deberi velit, quia occasione facti sui emerisset. Abhorret hic ab omni communi dividendo judicio. Totum putat esse majus qualibet sua parte, enimverò, si de solutione, de pensione damni sermo sit, tunc si quidem alia ratione culpam in totum in alium transcribere potest, promptissime id audet, hoc verò non procedente, minimum quosvis frigido & leviusculo prætextu in stultitiæ commissæ societatem pertrahere summoperè allaborat.

§. 15. Magni fieri de nudo incipit à viris illustribus jus nostrum patrium, ejusque ea dicitur ab *Illust. Strzyckio*

C 3

113



in U. M. P. esse auctoritas, ut qui pro se allegat, non teneatur speciatim usum & valorem docere, sed praesumptio sit id hodiernum obtinere tanquam legem domesticam, nisi ubi sigillatim ordinationibus provincialibus abrogatum legatur, quod de Marchia sua testatur idem incomparabilis Jctus. Consulamus ergo ejus fontes rem sanè non indignam facturi. Occurrunt quidem in speculo Juris in speculo Juris Sax. circa processum & actus executoriales pauciora, pro genio populi morum simplicitati etiam isto ævo, ubi conscribebatur maximoperè studentis. Non tamen planè penitus nos sine responso circa nostrum argumentum dimittit. Ita enim ait *l. 1. art. 60.* Jeglicher Mann mag Vorsprach seyn in dem Lande zu Sachsen zu Land & Recht/ ohne Pfaffen den man an seinen Rechten nicht beschulden mag. Bürgen aber muß ersetzen/ so er kein Erbe hat für des Richters Gewette und Buße/ ob er sie verwirckt umb nicht ehe. Addit significanter interpres, quod debeat satisfacere in iudicio, iudicio fisci & iudicatum solvi. Nisi principalis fortè cautionis loco bona sua oppignorasset, idque tanquam necessarium etiam consuetudine servari. Cautelam procuratoribus suggerit glossa ibid. *num. 5.* Arcet idem speculum à procuratore foeminas, si cum iudice res agatur, *lib. 2. art. 63.* Es mag kein Weib Vorsprech seyn noch ohne Vormündern Klagen das Verwirckte in allen Calurnia, die vor dem Richter mißbahrt vor Zorn. Unde sine dubio nec ad subhastationem admitta fuit, quod ineptè credidit adversarius. Enimverò objicis: obtinuit id in criminalibus, de quibus non est dubium, pro-



§§ (23) §§

provocas ad *art. 16. l. 2.* Ein ieglicher Mann soll Ge-  
wehr geloben/ so er klagt vor seinen Herrn oder Prin-  
cipal um Wunden Todtschlag oder Leumnis. Et sicuti  
actores, sic etiam rei procuratorem in criminalibus  
cavere. Accedere vocabula Buße/ Gewette/ quæ cri-  
mina supponunt. Sed hanc distinctionem falsam es-  
se, vel ipsum summarium docet verhis: Wer nun  
Todtschlag klaget/ der muß wie in Bürgerlichen Sâ-  
chen Gewehr thun, vid. *lib. 1. art. 42.* Adde jus Sa-  
xonum concepisse procuratorem tanquam personam  
dicentem, se alieno nomine alieno jussu agere, ex hoc  
verò conceptu conclusisse, quod talem quoque in ef-  
fectu se deceat ostendere procurator, qualem se veri-  
ditat, & pro quali ab altera parte accipitur. Igitur  
quia non contra definitiones & rerum moralium es-  
sentias statuere præsumsit, non potuit aliter decidere,  
quam adesse in procuratore obligationem principa-  
lem, quam supra indigitavimus, cautione saltim fir-  
mandam.

§. 16.

Mitius mihi egisse videor cum Antagonista, quod  
in legum adductione ne quidem ad peculiarem ac  
singularem malitiam, qua ipsum agitarum fuisse supra  
dixi respexerim. Neque enim id opus esse depre-  
hendi, cum jure ad solvendum cogi hæcenus evicerim  
& qui bona fide excedit. Cum excessus sit ipsius  
excessus & ipsius versetur culpa, quod bene videre  
& bene fidere, i. e. ineptè fidere, eadem esse existima-  
verit.



verit. Igitur ipse poterit facere applicationem ad sua  
gesta potius per argumentum à majore ad minus,  
quam nos fortè neglecti status controversiæ accusare.  
De jure ceteroquin Lubecensi *art. 6.* lis itidem mota est,  
quid significetur vocabulis *zu Gewinn und Verlust.*  
*Mevius* celeb. hujus interpretes ita accipit, quod hic ex-  
clusa sit restitutio in integrum, praxi communi eò ca-  
su si procuratorem negligentem non solvendo esse  
contingat, mandanti indulgeri solita, adeo que imputan-  
dum sit mandanti quod talem mandatarium elegisset.  
At cum impossibile non sit obligatio & nimiam scrupu-  
lositatem jura non exigant, secundum effat *Ulpiani de*  
*jur. & fact. ignor.* non video, quomodo, quod vis à procu-  
ratore admissum absurdum in mandantem redundare  
queat. Quis enim usq; eo omnium contrahentium exa-  
minare potest conditionem, ut sciat, nunquam aliquid  
iniqui facturos esse; Natura humanorum negotiorum  
tale quid non admittit. Ergò omne arbitrium judicis  
non puto exclusum, quæ enim culpa e.g. ei fidem habuis-  
se, cui tota civitas credit, & quæ durities contra, hu-  
jus singula vel dolosa vel stulta facta luere. Adferat  
ab alio aliud, quod hic agatur de constantia procura-  
toris jure ipsi injuncta, quod à processu semel susce-  
pto desistere nequeat, sed ad officii continuationem  
cogendus sit. Atqui verò hoc jam alio jure definitum  
est, quod judicialis cognitio requiratur. Ergò hunc  
textum non pro mea sententia, nec contra eandem fa-  
cere arbitror, cum de procuratore fines mandati ex-  
cedente non agat. Sed genuina ejus mens videtur,  
quod actor ex reus uterque sufficienti mandato suos  
pro-



§ (25) §

procuratores instruere debeant. Siquidem ille velit habere den Gewinn/hic conetur evitare den Verlust/ Facit huc *art. 9. lib. 2. spec. Sax.* der Richter soll Bürgen haben/ daß Kläger und der/ auf welchen die Klage gehet/ daß Recht vollkommen wöllen. Ergo & mandatarii debebunt ostendere, daß sie das Recht vollkommen wöllen/ vel prout jus Lubecense loquitur: Zu Gewinn und Verlust. Minimum hoc verum est, quod jus Lubecense nostris assertis non contrarietur.

§. 17.

Tractavimus jam veluti majorem propositionem, quæ nuuc ad casum specialem venit accommodanda. Quod eò palpabilius fiat, si denuc ad §. 3. oculum adjiciens, demonstrandum mihi esse cogitem (1.) Titium (sic enim omnis homo ferè in jure civili nostro appellat, unde otiosus quidam jampridem occasionem arripuit confarcinandi *ff. C. & Inst. loca*, ubi nomen hoc occurrit, & inde vitam Titii conscribendi) fuisse procuratorem & pro tali se gessisse. (2.) Ipsum circa speciale mandatum licitatum fuisse. (3.) tantam pecuniæ summam quantam daturus erat nemo. (4.) aliis verum pretium, unde creditoribus satisfieri potuisset offerentibus, restituisse. Singula patescunt è specie facti, quam ex ipsis, quæ ad manus sunt, judicialium actorum copiis, quoad potissimas circumstantias integram & illibaram exhibebo. Mevius in civitate Hanseatica mille marcarum Lubecensium mutuo dederat. Cajo in alia civitate Hanseatica, contingebat fa-

D

ro



to Mevium defungi, ubi tutor filiorum jubebatur esse Sempronius. Hic propter rationes idoneas creditum exigere constitutebat. Mittebatur ab eò charta blanca ad Lucium, in loco crediti degentem, addito monito, vellet iste virum juris peritum adire ac rogare, ut dicti æris appellaret Cajum, quod si solvere nollet, rem aggrediretur secundum regulas processus, quem in finem pro legitimanda in judicio persona comparatam esse chartam blancam facili negotio in justum mandatum stylo curiæ congruum transformandam. Lucius acceptis literis confert se ad Titium nostrum, & quid ipsi perscripisset Sempronius, exponit, & an ille exactoris, munere fungi vellet, quærît, insimul chartam blancam sibi transmissam offerens. Acceptat Titius protinus chartam blancam, debitam diligentiam circa negotium pollicitus. Gerit se initio Titius suo officio satis conformiter. Cajum solutionis tempus instare admonet, eo moras trectente, rem ad senatum defert, immisionem in bona petit, ac subhastationem urget, quæ ipsi quoque nomine senatus non denegabatur; Sed ecce quid audent ulterius! in ædes quæstionis inconsultis quorum scire intererat, bis mille & ducentum marcarum licitationem facit, sibi id mandatum esse prætendens, constituit procuratorem, sequitur addictio & processus solennitates reliquæ. Confestim apparet Javolenus, cui ædes 600. marcarum nomine oppignorata erant, & petit a Titio, ut eorum nomine satisficeret, vel ratihabitionem procuraret. Titius ad varias excusationes dilabitur, donec Javolenus rem ad judicem cogitur deferre. Et

Et



§ (17) §

Et quid aliud agendum cum iis, qui moras proterve faciunt, tergiversationibus delectantur.

§. 18.

Comparet Titius post satis diuturnam procrastinationem, & excipit, se omnia non mandatario, sed proxeneta nomine gessisse, suum autorem laudasse, per consequentiam se parum curare, quis solvere debeat per legem secundam de proxenetis. Subhastationem & licitationem non exigere mandatum, utramque a proxeneta peragi. Nihilominus iudex pronunciat, Titium solvere debere nisi probaret sibi a Lucio speciatim mandatum esse tantum pretium licitare. Acceptat creditor Javolenus prius sententia membrum, qua posteriori vero sibi non liquere monet, quare is altercationis ad se non pertinentis finem expectare jubeatur. Posse Titium peculiari processu a Lucio, si ipsum mandatum dedisse appareret, ratione gesti officii indemnitate consequi. Igitur cum sententia ulterior declaratio denegaretur, appellationem interponit, quam mox, more solito, deductis causa fundamentis justificat, imprimis urget, quod nomine tutoris pupillorum facta sit immisio, subhastatio & adjudicatio, de Lucio vero, qui nunc in iudicii scenam produceretur, ne minimum quidem dictum, itaque inde concludendum, quod ipsius fidem, nec iudicium, nec alii, quorum interfuit, secuti sint. Addit observantiam specialem loci, quod publice praeco proclamaret: *Wer klagen will / klage fesse; Idem,*

D 2

quod



quod in processu subhaftationis procurator judicialis mandatarium ne actus fiat illusorius constituere teneatur, idque Titium tanto minus latere posse, quod ipse procuratorem constituisset. Sed quid ad hæc Titius? Is, de proxeneta varia ex variis conscribillat, & multa inania in *L. 20. de Inst.* commentatur. Statum controversiæ torquet, & differentiam inter immisionem ac subhaftationem à nemine suo modo negatam operose definit. Satis quoque fuse disputat de sensu juris statutarii, & quam iniquum sit procuratorem pro exiguo lucro in magnam pecuniæ summam condemnare. Procuratores iudicii ordinarios in subfidium vocat, velint agmine facto communem hostem secum adoriri, ac abominandum dogma de obligatione procuratoris publico decreto è foris Christianorum, publica lege desuper à Senatu impetrata, proscribere. Post seditiosas has machinationes, uti fieri solet, ubi affectus prævaluere rationi, ad scommata, dicteria & calumnias devolvitur. Absurdissimam dicit petitionem & injustissimam, quæque in foro poli, cujus tamen regulas curæ cordique minimè ipsi esse abundè liquet, minimè excusationem inveniat.

§. 19.

Judicet ex his æquus lector, annon æquissima sit sententia superioris iudicii, quæ rescissa conditione priori de admittendo procuratore ad probandum tertii mandatum, solutionem pure distavit. Fuit enim Titius



§ (2) §

Titius noster sine dubio mandatarius seu procurator, alterius enim nomine in iudicio egit, chartam blankam in hunc usum recepit, imò sin hoc non fecisset, sine dubio à limine Iudicii fuisset repulsus. Refero huc *art. 7. Fur. Lub. supra cit.* ubi quivis legitime impeditus tenetur mittere einen Bevollmächtigten, hinc infero, quod, qui pro alio agit necessario, mandato instructus esse debeat. Continuavit noster processum immissionis sub persona mandatarii usque ad finem, ne verbulum quidem de proxeneterico munere commemorans; probè ignarus, quod, qui litem nomine alterius Lubeca persequitur, (ubi secundum iam ante tradita, præco monet: Wer flagen will/flage feste) tanquam proxeneta non admittatur, quippe qui iudicium eludere posset. Pro appendice immissionis processus est: urgere subhastationem. Ergo sub eodem caractere mandatarii noster ad subhastationem progressus est, neque vero credo hic nodum in scirpo quasituros fuisse constituentes, quasi ad subhastationem speciale mandatum requiratur. Nam vix aliter potest fieri, quin res sit, haste subjienda, si post immissionem non alia adsint solvendi media, nec inter creditum & rem æqualitas deprehendatur. Sed quod secundo loco probandum, licitando sine dubio fines mandati egressus est idem. Neque enim expedit creditori rem ipsam emere, multò minus voluntas ejus præsumi potest, quod care sit emurus: pertinet actus licitationis igitur ad actus, qui magni præjudicii esse dicuntur. Quod verò ait, se statim in iudicio nominasse suum auctorem, adeoque non sua fidè emisse:

-1011

D 3

ad



ad illud Matthai, quem ipse citat, respondet, quod duo requirantur ad procuratoris securitatem, non tantum ut veri emtoris nomen edat, sed ut speciale mandatum producat. Ne utrumque noster, edidit nomen der Festingischen Kinder, quod rubrum processus imissionis, imo singula nigri verba docent, idem sollemnissime repetitur in excerptis protocolli circa subhastationem & adjudicationem, id quod edivis inspicienti patebit. Quâ fronte ergo dicere potest, se laudasse Lucium, & quid quaeso efficeret, si mandatum non insimul addidisset. Nunquam Lucii fidem iudicium & creditores respexerunt, sed uti dictum, der Festingischen Kinder. Circa tertium moras neocere, opus non est, testatur eventus, quod pretium in sanum & immane fuerit, quis enim in tota civitate tantundem obtulit? Quartum acta confirmant, producto in medium cuiusdam mercatoris chirographo, quo se emtorem profiteretur summam non spernendam offerens. Verum ut noster ostenderet, nihil esse difficilius, quam pertinacem vincere seipsum, à se impetrare non poterat, ut ei locum daret: inde applicatio iurium suâ sponte liquet.

§. 20. *subhastationem*

Cum vero noster videret parum sibi faverè sententiam iudicis (neque enim aliter poterat fieri) ad extraordinarium plane remedium dilabatur, quod olim apud Judæos, homines à duritie cordis notissimos non infrequens fuit. Scilicet parum modeste scriptum a libel-



§§ (11) §

libellum ad adversarium, optima fide suum ab ipso exigentem, transmittit, ac ad vallem Josaphati morti vicinum evocare non erubescit. Eingham per impossibile, in presenti enim casu fieri aliter nequit, iniquam fuisse latam sententiam. An regulæ Christianismi, quas tantoperè crepat, & ingeminat, non debite cordicitus ponderat noster, permittunt, ut vindictæ cupiditas, imò immortalis vindictæ cupiditas in nobis triumphos agat. Habet quidem ambitio in criminali humano judicio hoc privilegium, quod ita censente Ulpiano ignoscendum sit se vindicare volenti. Hoc tamen ei nullo jure impertitur, quod ad ejus œstrum veluti assurgere & pro imaginario libitu sententiam ferre teneatur iudex, si forte agere per injuriam cui factum. Quid ergò de DEO præsumemus. Qui omnium affectuum eradicationem nobis injungit, & jure injungit, cum & ipse vires largiri queat, id quod Politici judicis facultatis modulum excedit. Legitur quidem in sacris scripturis, quod sancti sæpius Deo commiserint vindictam, sed quid inde? vel enim precati ut per crucem & calamitates in his terris impiis immittas, isti in viam reducantur, quod in nostro casu non factum. Vel si aliud appareret, quod durius esset, cogitandum, nec sanctorum facta omnia esse imitanda; Non videndum, an aliquod à sanctis factum, sed an sancte factum. Pro certo habeo, humanitatis Christianæ limites immane quantum turbari, si vel pro levi offensa, vel planè pro imaginaria, proximus in summum divinum jus, *æternis ibi penis ac flammis* addicendus vocaretur. Neque verò merent



rent varia exempla, quibus vulgares libelli sciantur. Possunt enim unius ejusdemque rei plures esse causæ. Multos fortè rebus humanis mala conscientia angor, non pauciores fatum vel rectius libera Dei voluntas, eximit subito, non tamen licitum est, ut hoc inde corollarium exculpamus quasi nostris voris vindictæ ac irarum plenis, nescio quæ vis magica inesset. Ridemus fulmina bruta Pontificis, quidni & nostra? quid enim aliud sunt in injustissima causa ad summum Numinis judicium factæ provocaciones.

§. 21.

Paucis videamus adhuc disputationem Titii nostri, quam facultatis cujusciam inclytæ permissu typis publicis exscribi fecit miranda sanè in ea apparet versutia; format ibi statum controversiæ hoc modò: An procurator pro cliente solvere teneatur, quod generatim intellectum negat; & recte negat, cum nemo sanæ mentis id affirmet. Itaque si bona fide agere voluisset, non oblitus fuisset in quæstione circumstantiarum, quas supra sigillatim tetigimus. Cæterum in eo fallitur, quod liti se offerre saltem de isto dici putet, qui ad frustrandum vindicaturum & vendendum se pro possessore fert, jungenda enim hisce sunt, quæ supra e Gothofredo attulimus. Larvas sibi porrò fingit, quas oppugnet, quærendo e. g. annon procurator exinde citra discrimen solvere teneatur, quia litis contestatio esset species quasi contractus, quis quæso sanæ mentis talem objectionem formet? pro-



¶ (3) ¶  
 provocho ad ipsius scientiam, et si quam habet consci-  
 entiam, an sciat autorem, cui scrupulum iniecit  
 hoc miserimum meditentium. De, eo quod ho-  
 diè litis contestatio planè non sit quasi contractus di-  
 cere nolo, cum illud speciali programmate ad ocu-  
 lum ostenderit, doctissimus Hallensium *D. Ludovici*.  
 Longè alia debuisset cogitare, si ferio secum disputa-  
 re voluisset, scilicet, quid obrineat in procuratore  
 fines mandati excedente, pertinaci, inconsulte li-  
 citanti. &c. Hæc si solidè diluisset, herbam ipsi por-  
 rigeremus non rogati. Quæ è jure Lubecensi memo-  
 rat, nos non premunt, cum hac probatione non sumus  
 usi. Reliqua vel generalia cumulant, vel de Advocati  
 & proxenetæ officio exponunt, uno verbo nos non  
 tangunt. Quam parum firum præsidium in *L. Plau-  
 tius* locet, supra fuit ostensum: Sicuti nec *Matthæi*  
 locum, in quo se casum in terminis terminantibus re-  
 periisse gloriatur, silentio transmisisimus, sed eundem  
 nobis cum facere probatum est. Meminimus, nos  
 in actis legisse, quod sententiam contra jura mundi  
 prolatam esse exclamet noster. Sed quomodo hoc?  
 Non est enim laudatissima senatus sententia juri na-  
 turæ universali, non civili Justiniano, non Canonico,  
 non Saxonico, quod itidem pro specie juris com-  
 muni habetur, contraria, quomodo ergo contra  
 jura mundi. Potuissent plura è variis ordina-  
 tionibus processuum compilari. Sed  
 sapienti satis.

TANTVM.

EST PRÆ



PRÆSES  
GENEROSISSIMO SVO RESPONDENTI

S. P. & O.

**C**um prima vice & Tuam dissertationem scribendi consilium, & insimul argumentum de quo cogitasses, aperires, dubius sane hæsi, quid desuper respondere & an aliquale præsidium meum Tibi polliceri deberem nescius. In negativam enim me flectebat nativa ingenii indoles, nil nisi pacem, nil nisi quietem spirans, & præoptans. Quid (ita mecum ratiocinabar:) anne Te immiscebis litigio ad Te non pertinenti & a tali modo, cui maledictis certare, prout ex actis, quæ mihi communicabas observabam, religioni non est. Subibat quoque mentem recordatio moniti Illust. Dni. Thomasi, quod errores communes ostendisse Viri sapientis sit & clari, errores vero singularium hominum innoxios detegere, pro virorū obscurorū caractere habendum. Iam vero adversarius noster erat persona singularis, hæresis ipsius Juridica minimum eo sensu dicenda innoxia, quod præter ipsum non habitura sectatorem, sed idem fatum passura videatur, quod absonæ cuiquam I. N. hypothese, contigit, ante paucos annos in celebri quodam loco, cum auctore suo sepulta est. Accedit quod dentur homines, quos ne quidem attalicis conditionibus, a semel præconcepta opinione dimovere licet, tantum abest ut paucis dissertationis pagellis emendentur, unde in sacris commendari solet sapius loco prolixioris sermonis, prudens silentium. Nec levis injiciebatur scrupulus, cum perpenderem, jam per multorū annorū decursus hanc academiam nostram insignis modestiæ laude effloruisse, ubi alibi tubarum clangor & armorū inter



ter se collidentium strepitus, auditus est, hic gratissima  
 acta sunt halcyonia. Prudentiæ ergo regula mihi incul-  
 cabant ut ad tam præclarum exemplum, me quoque  
 totum componerem. Verum his omnibus paulo pressius  
 examinatis, & introspectis penitius deprehendi, hæc  
 omnia tanti non esse, ut, ne postulato Tuo assurge-  
 rem, persuaderent. Primo enim illud pacifici ani-  
 mi mensuram non transgreditur, si quis in alijs causis  
 rogatus innocentia parentat, maculam egregiorum  
 virorum famæ proterve aspersam abluit & imprimis,  
 secundum commune proverbium: de mortuis bene  
 loquitur. Quamvis vero tali modo fieri non possit,  
 ut semper persona lædens cum ampliori honoris præ-  
 famine nominetur, aut impetrata, a quoquam Præ-  
 tore venia in jus vocetur: Attamen tale institutum  
 ea propter non minus laudabile est, ac auxilium quod  
 quis in aquam dejecto, ut inde retrahatur, præstat,  
 licet in dejectorem adstantem lutosæ quædam guttu-  
 læ, dum extrahendus movetur, vel quatitur spargantur.  
 Illustrum meum Doctorem de tali casu capio, ubi quis  
 curiositatis ergo non rogatus alijs insultat, gloriolæ  
 captandæ causa minutos etiam errores colligit, non  
 vero de nostro, uti primarius scopus est ut honestas  
 defendatur. In inclytam Academiam quoque eo non  
 mihi me videor aliquid iniqui audere, quod sicuti  
 ista eximie modestiæ encomio celebris fuit: Ita æ-  
 que benignissimi semper animi erga læsos & injuria  
 affectos exitit, quod vel sola præclarissima almae facultatis  
 Juridicæ factam ad implorationem data consilia  
 satis superque loquuntur. Interim omnino illud ca-  
 vendum ne quid prodeat acerbi, vel quod perstringen-  
 di animum redoleat. Inde monitus ex merito omisisti

E ε

super-



superbe dictum nostri quasi sententia contra Jura mundi sit, acriori lixivio aspergere, licet multa quaestiones de quonam mundo sentiret, cum hujus terrarum orbis praecipua Jura adducta fuerint, & cum iis ostensa conformitas, superfuissent. Neque vero injuria affectus fuisset si ipsi ostendisses contortas legum applicationes, cum inter caetera, in ea opinione haereat quod Judex judicando desinat esse judex, nec sententiam, mutare possit, fatis aperte Judices Romanos & nostros miscens. Sed forte mox peculiari schediasmate subtitulo: Elenchus errorum, qui Jurisprudentiam infecerunt ex non attentâ Judicum pedanorum & nostrorum differentia edendo, occasio dabitur altius rem repetendi. Silentio quoque tantum non involuisti, parum Christianam ac injustam nostri ad Vallum Josaphati provocationem. Res profundiorum meditationem mereretur, illud sine dubio observasti, quod saepe ii quorum interest vanis terculamentis attonitam plebem exanimem fere reddere, quam solidis rationibus & prudenti eloquentia flectere ignorant, varia exempla cumulent, quibus raritas caritatem peperit, veritatem autem parere non potuit, licet in historiis inter praecipua exemplorum veritas requiratur. Sanctorum enim in novo foedere historia alia omnia monet, tulerunt sancti iniuriam Deo relinquentes ultionem extra specialem appellationis ad vallum aliquod formulam. Illud quod a nobis quaesitum memini annon poena extraordinaria pro officio Judicis subiaceat qui moribundos turbat, qui ad caelestem quietem transituris in ultimo momento quietem denegat, prave molestus ipsis existit, terrorem panicum incutit, illud inquam affirmative decidendum videtur. Non est enim certus





tus hodie criminum numerus. Laxior Judicium nostrorum potestas. Neque vero analogia juris nobis multum reclamatur. Convenit imprimis facinus nostri cum injuriarum crimine, nam in moribundi famam, quasi injustus, & irreligiosus quo nil dici potest acerbius fuisset grassatus est, quamvis vero actio injuriarum ad heredes non transeat nisi preparata, transibit tamen minimum potestas denunciandi hac notabili accedente circumstantia, quod injuriatus mox vita excesserit, nec auxilium judicis implorare poterit: Scimus quod vita & fama pari passu ambulare non absurde dicantur, hinc non inepte concludi posse mihi videtur, quod uti filii est defuncti necem vindicare: ita quoque ipsius sit famae moribundi lacescit debito modo consulere. Pertinet huc Schilteri doctrina, qui implorationes officii Judicis, hodie non e Jure Romano, sed e cujusvis reipublicae utilitate metiendas, esse passim docet. Caterum Generosissime Respondens illud sancte adsevero quod laudatissimi Tui in studiis Juris civilis prudentiae, & aliis scientiis egregiis progressus, oppido se mihi commendaverint, spero fore, ut & iis qui meritissima premia iis decernere possunt, se commendant. Docuisti raro exemplo quod nobilitas & eruditio non sint habenda pro Philosophorum contrariis, quae non commode in uno subiecto morantur. Parce Te laudo rationem, non Tui gratia quem, quem mea instituta minime latent, sed in aliorum gratiam addam hanc quod hominum de schola, quibus me accenseo, laudes vix reprobatae monetae valorem attingant hodie, seculo, quo magni viri non amplius vident, an quis sit laudatus per adulationem, sed an laudabilis existat vera. Vale ex voto, & me uti coepisti amare perge.

E 3

COROL.





## COROLLARIA.

Corollarium vetus nostri I.

An procurator per litis contestationem verus fiat litis Dominus? Neg.

Corollarium nostrum I.

Quæstio hæc est otiosa, quia hoc litis dominium erat merum juris Romani figmentum; *Schilt. ad tit. de procurat. VVissenbach. Disput. 12. ad ff. num. 17. Giphanius, tit. Cod. de sent. ex pe- ric. recit. p. 225.*

Vetus nostri II.

Alius est instantiæ & processus, alius litis & rei in litem deductæ Dominus, hinc sequitur.

Nostrum II.

Sublato fundamento, eidem corruunt superstructa.

Vetus



¶ (o) ¶

Vetus nostri III.

Nec solvi procuratori sive speciali mandato posse, nec ipsum de suo solvere teneri.

Nostrum III.

Nulla regula tam firma, quæ non patiatur exceptionem. Exceptionem abundè docuit disertatio.

Vetus nostri IV.

Leges civiles & fori, quanquam aliàs satis æquæ sint, ut humanæ, non tamen omnes in foro poli excusant.

Nostrum IV.

Multo minùs excusatur in foro poli, qui contemnendo leges civiles ne quidem hominem rationalem, se esse ostendit. Ne futor ultra crepidam, qui terrestria jura spernit, ds cœlestibus judicare nequit.

Vetus





¶ (o) ¶

¶ Vetus nostri V.

¶ Qui malam litrem fovet, & fortè postea  
victoriam reportat, mortaliter peccat, nec ob  
rem judicatam in conscientia securus est. non

¶ Nostrum V.

¶ Non omnia sunt peccata, quæ peccatoribus  
peccata videntur, nec omnia mala, quæ ma  
lis mala. Addas: conscientiam sapè mian  
ram rem esse.

¶ VI. in flor. an. V.





Jena, Diss., 1706

ULB Halle

3

005 360 722



v. 18











692  
27.  
12

2. D. B. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
De

# PROCVRATORIS OBLIGATIONE

SI FINES MANDATI EXCEDIT  
PRÆCIPUE

QVA CREDITORIBVS TENETVR,  
IN PROCESSV SVBHASTATIONIS,

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIÆ, JVLIE, CLIVIE, MONTIVM,  
ANGARIÆ, GVESTPHALIÆ, & reliqua  
DVCATVS ISENACENSIS HÆREDE

CONSENSV INCLYTÆ FACVLTATIS JURIDICÆ  
IN ACADEMIA JENENSI  
SVB PRÆSIDIO

**D. JO. PAVLI KRESSII,**

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMISIT

CHRIST. FRID. DE TODEN,  
EQV. SAXO-LAVENB.

AVTHOR.

D. XXIV. DECEMB. MDCCCVI.

JENÆ, LITERIS MVLLERIANIS

